



*Ex Biblio.*  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITTEBERG.

17-57

SIGNAT. *cis 15 CCCXIII.*

*Curavit compationem Mart. Balashowicz ad  
1795 die 9<sup>ma</sup> Octobr.*

4

DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
**JURAMENTO  
IN SYMBOLA ET  
LIBROS SYMBOLICOS,**

*Quam*

**DIVINI NUMINIS GRATIA  
ANNUENTE,**

*Consensu*

**VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ  
IN ACADEMIA REGIA REGIOMONTANA,**

*Publicæ Eruditorum Disquisitioni*

submittunt

P R A E S E S

**CHRISTIANUS SAHMIUS,**

SS. Theol. D. & P. P. Diaconus Ecclesiæ

Palæopolitanæ,

&

RESPONDENS

**FRIDERICUS BÖLZ / Reg. Pruss.**

S. Minist. Candid.

IN AUDITORIO THEOLOGICO.

Anno MDCCXIII. d. 29. Martii.

---

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

---

INCLYTÆ  
REIPUBLICÆ PALÆOPOLITANÆ PATRIBUS,  
VIRO

*Generoso atque Magnifico Domino,*

**DN. FRIDERICO von Derschau/**

S. R. M. in Prussia Supremi Tribunalis & Aulæ Consiliario  
meritissimo, Consuli vigilantisimo,

Nec non

VIRIS

*Prænobilissimis, Excellentissimo, Amplissimis ac Consultissimis Dominis  
Consiliariis Civitatis Paleopolitanae longo rerum ac  
consiliorum usu optimè meritis,*

DN. GEORGIO Dittmer/ Pro-Consuli dignissimo,  
DN. JOHANNI Langerfeldt/

DN. CHRISTOPHORO Horck/

DN. HENRICO Schönsfeldt/ U.J.D. & P.P.

DN. GEORGIO Tezel/

DN. FRIDERICO Liedert/

DN. CHRISTOPHORO Meyer/

DN. CHRISTOPHORO Lasseburg/  
ut &

DN. HENRICO Bartsch/ Secretario longè meritissimo.

*Dominis Patronis ac Promotoribus studiorum  
meorum debito amoris cultu prosequendis*

Hoc Specimen Theologicum submissa  
mente ac manu offero

Fridericus Boltz/  
Respondens.

I. N. 3.

## THESIS.

In Symbola & Libros Symbolicos jurare  
licet & expedit.

### STATUS CONTROVERSIÆ.

**N**otandum est. I. Per Symbola & Libros Symbolicos intelliguntur formulæ sanorum verborum de Deo & rebus divinis ex Sacra Scriptura verbotenus desumptæ, vel per legitimam consequiam deductæ, ut ex illis idem sentientes cognoscantur. Hujusmodi Symbola sunt Symbolum Apostolicum, quod verbotenus ex Sacra Scriptura desumptum esse, probant plurimi: item, Symbolum Nicenum, in quo filium  $\alpha\mu\sigma\tau\omega$  consubstantialem esse Patri, assertur, formula ex Scriptura per optimam consequiam deducta, Symbolum Athanasii, & quæ alia hujusmodi plura: Libri Symbolici sunt August. Confessio, in qua formulæ de præcipuis fidei Articulis, partim ex Sacra Scriptura verbotenus desumptæ, partim per legitimam Consequiam deductæ, exhibentur: hujus Apologia, & similia alia Scripta vel omnibus Lutheranis Ecclesiis communia, vel certarum regionum propria. II. Non quæri, an absolute necessarium sit, in Symbola & Libros Symbolicos jurare, ut ex illis idem sentientes de Deo & rebus divinis cognoscantur, potuit enim illud fieri antequam Symbola & Libri Symbolici extarent, & adhuc potest per Scripturam & Colloquia ex Scriptura instituta: sed hoc quæri, an liceat & expediat in Symbola & Libros Symbolicos jurare, ut ex iis idem de Deo & rebus divinis sentientes, cognoscantur, hoc enim est, quod probandum nobis est. III. Non quæri, an in Symbola & Libros Symbolicos jurare liceat, quatenus in se & per se considerantur, nimi-

A

rum

rum quatenus ab homine uno aut pluribus sunt conscripta aut  
 composita, ut enim in nullius verba Magistri vel gentiles ju-  
 rare sustinuerunt, ita Christiani non possunt in cuiusquam ver-  
 ba jurare, praeterquam in verba *unicis Magistri*, Iesu Christi  
*Math. XXIII. 8.* & propter ejus verba, hoc est, S. Scripturam;  
 quia nempe Symbola & libri symbolici cum scriptura con-  
 sentiunt, & ex Scriptura formulæ illæ verbotenus desumptæ,  
 aut per bonam consequentiam deducuntur sunt, ita, ut si Scriptura  
 non esset, cum qua Symbola convenient, neque in Symbola  
 jurari posset. IV. Non queri, an in Symbola & Libros Sym-  
 bolicos quispiam jurare debeat, antequam ipsi constet Symbola  
 ac Libros Symbolicos cum Scriptura consentire: sed hoc  
 potius, an liceat illud iis facere, qui satis edocti sunt, Symbola,  
 & Libros Symbolicos, atque doctrinas in iis contentas cum  
 Scriptura convenire, & qui Dogmata in Symbolis & Libris  
 Symbolicis proposita ex Scripturis confirmare & probare  
 possint, sive valeant hoc præstare ex manuductione & infor-  
 matione Doctorum & Praceptorum suorum, sive ex propria  
 industria & inquisitione? V. Non queri, an in Symbola & Li-  
 bros Symbolicos jurare quis debeat proprio motu & privata  
 sua voluntate, sed an liceat ipsi hoc facere, quando a Magi-  
 stratu, aut Ecclesia loci cuiusdam demandatum & injunctum,  
 aut usu receptum illud est, ut hac ratione rixæ & inutiles con-  
 tentiones in illius loci Ecclesia de rebus divinis præcaveantur  
 & præscindantur? VI. & hoc annotandum est, quod de jura-  
 mento hic dicitur, accipendum etiam esse de Subscriptione,  
 promissione stipulata, & alia simili obligatione ad Symbola  
 & Libros Symbolicos, pro cuiusque loci consuetudine & usu  
 facta. Quomodounque enim promissum quipiam sit,  
 promissis semper standum, nec propter solennitatem aliquam  
 fori omissam, fides DEo & Magistrati debita, violanda est.

Argu-

### Argumentum I. pro Thesi.

Quicquid licet ac expedit facere in Doctrina de DEo & rebus divinis in Scriptura Sacra proposita, illud etiam licet ac expedit facere in Doctrina de DEo & rebus divinis in Symbolis & libris Symbolicis proposita.

Sed Juramentum præstare licet & expedit in Doctrina de DEo & rebus divinis in Scriptura Sacra proposita.

Ergo juramentum præstare licet ac expedit in Doctrina de DEo & rebus divinis in Symbolis & Libris Symbolicis proposita.

Major probatur: est enim eadem doctrina de DEo & rebus divinis in Scriptura S. & Symbolis atque Libris Symbolicis proposita, atque Symbola & Libros Symbolicos omnino consentire cum Sacra Scriptura, & eandem doctrinam propnere, quæ in Sacra Scriptura proposita est, certo novit ille, qui juramentum præstat.

Minor probatur: in Scripturam & Doctrinam de DEo & rebus divinis juramentum præstare licere & expedire, docent exempla in ipsa Scriptura S. proposita: nimurum Mosis, Deut. XXIX. 12. qui omnes Israelitas juhebat, transire in pactum Domini DEi sui, & in Juramentum, quod Dominus DEus ejus panguit cum ipso hodie, hoc autem pactum & juramentum imprimis concernebat Doctrinam de DEo & rebus divinis, ut imprimis patet ex v. 17. 18. Iosuæ, Jos. XXIV. 25. qui adhortatus Israelitas: Inclinate cor vestrum ad Dominum DEum Israel: accepto ab iis responso: Domino DEo nostro serviemus & in voce ejus audiemus: excidit fædus, (intercedente juramento, ut patet ex Gen. XXI 23.) populo in die illa & proposuit ei statutum & judicium in Sichem. Iosuæ, 2. Reg. XXIII. 2. 3. qui legit in auribus populi omnia verba libri fæderis inventi in domo Domini: & sletit Rex super columnam & excidit fædus ad facies Domini ad eundum post Dominum & ad custodiendum precepta ejus & testimonia ejus,

4

& decreta ejus, in toto corde & in tota anima, ad stabiliendum verba  
federis hujus, que scripta super libro hoc, & stetit omnis populus in  
fædere. Nehemias. Nehem. X. 29. Venientes in execratione &  
in juramento ad ambulandum in Lege DEi, quæ data est in manu  
Moysi servi DEi. Paulus 1. Thess. V. 27. Adjuro vobis Dominum, legi  
Epistolam omnibus sanctis fratribus, in qua verba Theophylactus  
Adjurat autem, ut quamvis ipsum negligenter, propter adjuratio-  
nem tamen quod injunctum est prosequantur. Adeo veteribus  
Christianis horrendæ fuerunt adjurations. Ex his ergo & si-  
milibus Exemplis probatissimis sanctorum manifestum est,  
licere juramentum præstare in Doctrinam de DEo & rebus  
divinis in Scriptura S. propositam: unde & in eandem Do-  
ctrinam in Symbolis & Libris Symbolicis propositam, id fa-  
cere licebit.

### Argumentum II.

Ad cujus omnino simile Apostolus mandato severissi-  
mo obstrictos reddidit, quin imo sub Anathemate obligavit  
Christianos, in illud ipsum juramentum præstare licet atque  
expedit.

Sed ad illud, quod omnino simile est Symbolis & Libris  
Symbolicis Apostolus mandato severissimo obstrictos reddi-  
dit, quinimo Anathemate obligavit Christianos.

Ergo in ipsa Symbola & Libros Symbolicos juramentum  
præstare licet atque expedit.

Major est certa: Nam similium similis est ratio, & quod  
valeret in una re simili valet etiam in altera. Consequentia  
præterea Majoris patet exinde, quod perfectissima inducção  
ne probari potest in illud, quod juste mandatur, & sub ana-  
themate injungitur, etiam juramentum præstare licere & ex-  
pedire. Ita DEus mandabat populo Israelitico, ut Leges a se  
propositas observaret, & sub anathemate injungebat illud, v.  
g. Circumcisionem ab Abraham exigens Gen. XVII, 14. Et

pra.

5

præputiatus masculus, cum non circumcidetur earo præputii ejus & excidetur anima illa de populo suo. Quod pluries repetitur deinceps a Mose: Pariter in aliis mandatis agebat cum Israelitis, tam graviter ea observari mandabat, ut non facientes illud excindendos esse de populo suo statueret, ut patet ex *Levit. VII. 20.* & multis aliis ex locis. Sive enim per excidium illud ex populo suo, excommunicatio a communione populi DEi, ut Belgæ ad *Gen. XVII. 14.* autumant, sive hoc intelligatur, ut non ducatur ad judices, sed occidatur ab iis, qui eum in crimine deprehendunt, ut a Phinea Zambres, bona autem fiant Anathema, ut *Grotius ex Maimonide ad Num. XV. 30.* vult, idem illud est cum eo, quod anathema dicitur a Paulo. Jam autem ad observandum mandata DEi juramentum præstare licebat & expediebat Israelitis, ut antea vidimus. Similiter res habet in mandatis & præceptis Principum, solent ita obligare ad ea observanda subditos suos, ut gravissimas poenas constituant transgressoribus, sed juramentum quoque præstare in ea licere & expedire, quotidiana experientia, juramentum enim exigunt Principes a Subditis tanquam tutissimum & perfectissimum medium obligandi eos ad observanda mandata sua.

Minor probatur, ex *2. Tim. I. 13* ubi extat mandatum Apostoli ad Timotheum: *Formam habe sanorum verborum, que a me audivisti. Rom VI. 17.* ubi dicit Apostolus: *Gratia Deo, quod obediisti ex Corde, in quam traditi es tu formam Doctrinae & ex Gal. I. 8.* Si nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præter quod Evangelizatum vobis, Anathema sit. Nimirum Εἰναι πνευματικοῦ ἀρχαῖον, seu νόμος διδαχὴ est Apostolo ipsa forma, seu ratio docendi, quam observebat in prædicatione Evangelii, eamq; volebat & Timotheum accurate observare: ita sane exponit in Commentario Theodoretus: *Imitare, inquit, Pictores, & quemadmodum illi attendentes Exemplaria, horum*

imagines accurate depingunt: ita & tu, velut quoddam Archetypum habe, traditam a me tibi doctrinam de fide & charitate. Jam vero ratio docendi, quam observabat Apostolus in prædicatione Evangelii, & ad quam volebat & Timotheum accurate attendere, omnino similis erat Symbolis & Libris Symbolicis. Ipse Apostolus testatur, quæ fuerit sibi ratio docendi. *Acto. XXVI. 22.* Auxilio, inquiens, DEi adjutus usq; in hodiernum diem, sto testificans minori & majori, nihil extra dicens, quamea, quæ Prophetæ locutis sunt futura esse & Moses. Hæc est ipsius mens, quod ex Sacra Scriptura vel verbotenus, vel per bonam consequentiam deduxerit, quæcumque docuit. Patet hoc si addamus locum Apostoli ex *i. Cor. XV. 1.* Notum vobis facio, Fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod & acceperitis, in quo & statis, per quod & salvamini, qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis imprimis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Dicit Apostolus se docuisse secundum Scripturam. Nam vel ipsa Scripturæ verba docebat; vel quæ per legitimam consequentiam ex iis fluebant. Juvat ex Theophylacti commentario adjicare, quæ ad hunc locum habet: Præterea cum ait, secundum Scripturas, istos manifestissime evertit. Universæ namq; Scripturæ de corpore & hac Christi morte testimonium dicunt, ut: Foderunt enim, inquit, manus meas, & pedes meos: & videbunt, in quem pupugerunt: & vulneratus est propter iniurias nostras: & pro peccatis populi mei venit in mortem. Et deinceps. Ast ubi Scriptura loquuntur, quod tertia die resurrexit? per Iona Prophetam figuram: & ante hunc ex eo, quod Isaac tertio die matri vivus sit conservatus & non mortalus: & aliis innumeris figuris. Tum a verbis Esaiæ: Dominus vult purgare eum a plaga, ut monstret

7

stret ei lumen. Ut & Davidis: *Non derelinques animam meam in inferno.* Vel ex his manifestissimum est, docuisse Apostolum & proposuisse ea, quæ totidem verbis in Scriptura V. T. tradita, vel per bonam consequentiam exinde eliciuntur. Et hanc docendi rationem a Timotheo & omnibus aliis mandat observari sub Anathematis poena *Gal. I. 8.* h. e. eos, qui non observant hanc docendi rationem exitio devotos & execrandos esse pronuntiat. Quid autem huic est, magis simile quam illud, quod sit, quando juramentum præstatur in Symbola & Libros Symbolicos: nihil aliud intenditur hoc juramento, quam ut doceatur in Ecclesia illud, quod totidem verbis in Scriptura proponitur, vel per optimam consequentiam ex Scriptura derivatus, ut ex descriptione Symbolorum & Librorum Symbolicorum superius tradita, patet. Nec est, ut dicas: Non esse similem docendi rationem Pauli, illi quæ secundum Symbola & Libros Symbolicos: quia Paulus habebat Spiritum S. immedie sibi assistentem, Autore Symbolorum & Librorum Symbolicorum non item. Nam similitudo utiq; maxima intercedit hisc quantum ad ipsam materiam, quæ doceri debet, facultatem quoque docendi in Scriptura proposta & deducendi ex ea per bonam consequentiam alia, DEUS non denegavit unquam Ecclesiae suæ, cui dedit *Spiritum, qui maneat cum ipsa in eternum & deducat eam in omnem veritatem.* *Joh. XVI.* Licet autem non immediate hæc doceat Spiritus S. sed per ipsam Scripturam & in ipsa Scriptura; nihilo tamen minus reddit Ecclesiam per Spiritum in Scriptura docentem, hæc cum Scriptura convenire & exacte contentire.

### Argumentum III.

Quocunque Juramentum præstatur Magistratu requirente & jubente, de re honesta, certo juranti cognita, libere & citra coactionem, in solius DEI gloriam, illud præstare licet & expedit,

Juramen-

Juramentum in Symbola & Libros Symbolicos præstat  
tur Magistratu requirente & jubente, de re honesta, certo ju-  
ranti cognita, libere & citra coactionem.

Ergo Juramentum in Symbola & Libros Symbolicos  
præstare licet & expedit,

Major est certa: Qyanquam enim non pauci fuerint  
inventi, qui juramenta omnino omnia improbarunt & op-  
pugnarunt, nempe Essæi, Manichæi, Anabaptistæ, Qvackeri,  
videatur Gerhardus LL. CC. Tom. III de Lege DEI §. 119. attamen  
ex Scripturæ V. & N. T. effatis, Exemplis, & pluribus rationi-  
bus satis comprobatum est, juramenta præstare, esse cultum  
DEo gratum & acceptum, si id fiat requirente imprimis Ma-  
gistratu, de re honesta, certo juranti cognita, libere & sine  
coactione, in solius DEi gloriam. Solet a Doctoribus Eccle-  
siæ ad hanc doctrinam explicandam adduci illud Jerem IV. 2.  
Et jurabis: Vivens Dominus: in veritate, in Judicio & in Justi-  
tia: & benedicent se in eo gentes, & in eo laudabunt se: unde  
Thomas de S. Aquino requisita juramenti DEo placentis deduc-  
cit 2. II. quæst. 89. art. 3: non negligenda quoque illa Ambrosii  
Lib. I. de Abel & Cain cap. 10. p.m. 73. Tu, quod juraveris, ita  
noveris esse servandum, ut quia per eum juras, qui non mentitur,  
scias cum futurum, si mentiaris, ultorem, & quod idem habet  
in Psal. CXVIII. ad verba: juravi & statuicustodiare judicia ju-  
sticiæ tuae. Vox ambulantis in lumine est, cum autoritate dicere:  
Juravi & statui. Qui enim statuit, non movetur, non metuit  
nec cadat: quia plus est statuere, quam stare. Stat igitur David  
mentis statione fundatus, nec timet, ne in his mundi tenebris possit  
errare. Si enim metueret, non juraret: si trepidaret, utrum divi-  
na posset custodiare judicia, non cum jurisjurandi statueret sacra-  
mento. Nemo bene jurat, nisi, qui potest scire, quod jurat. Ju-  
rare igitur, indicium scientie, testimonium conscientiae est. Et bene  
jurat,

*jurat, qui ad lucernam verbi pedes suos dirigit, qui lucem in semituis suis cernit. Lux tibi praetate, si jurare disponis: id est, cognitio veritatis precedat, ut vinculum Sacramenti tibi non posse nocere. Ibi religio sanctior: ibi fides veritatis est plenior, videantur & sequentia. Ex quibus omnibus manifestum est, Majorem omnino certam esse.*

Minor probatur: Jussu & mandato Magistratus praestari Juramentum in Symbola & Libros Symbolicos, jam in statu Controversiae notatum est, *Numeri V. Rem*, de qua juramentum praestatur, esse honestissimam, extra controversiam positum est. Quid enim honestius esse potest, quam sanctissimam Doctrinam de DEO & rebus divinis confiteri & juramento asserere? Certo juranti cognitam esse debere rem hanc sanctissimam, exinde satis patet, quod non nisi illi ad Juramentum in Libros Symbolicos admittantur, qui examinati & explorati fuerint, an sciant atque noverint propositiones in Symbolis & Libris Symbolicis contentas comprobare auctoritate Sacrarum Scripturarum. Ulterius libere & citra coactio- nem juramentum in Symbola & Libros Symbolicos debere praestari, patet exinde, quod vis nulla juranti inferatur, sed in arbitrio jurantis positum sit, utrum velit juramentum illud praestare, an vero Ministerio, in illa Ecclesia, abstinere. Denique praestandum est Juramentum in Symbola & Libros Symbolicos in gloriam DEI, nempe ut tranquillitas Ecclesiae illius conservetur, & rixae atque contentiones in illa Ecclesia praescindantur, atque praecaveantur.

### CONSENSUS ECCLESIE.

In antiqua Ecclesia mature Juramentum in Symbola praestare soliti sunt Christiani. Symbolum Apostolicum enim exigebatur ab ipsis in Baptismo, ut ad Dogmata divina in eo tradita, omni Juramento fortius obligarentur baptizandi.

B

Memi-

Meminit hujus Confvetudinis jam ipse Tertullianus libro de spe-  
 Et aculis c. 4. p. m. 139. Aquam, inqviens, ingressi, fidem Christianam  
 profitemur. Cyprianus quoq; Epist. LXXVI. ad Magnum p. m. 152.  
 proponit objectionem quorundam his verbis : *Quod si ali-  
 quis illud opponit, ut dicat eandem Novatianum legem tenere,  
 quam Catholica Ecclesia teneat, eodem Symbolo, quo & nos, bapti-  
 zare; eundem nosse Deum Patrem, eundem filium Christum, eun-  
 dem Spiritum S. ac propter hoc usurpare eum potestatem baptizan-  
 di posse, quod in interrogacione Baptismi a nobis non videatur dis-  
 crepare.* Ex quibus manifestum utique est, Symbolum ex  
 baptizandis fuisse quæsitum, eosque Symbolum professos  
 esse, & Dogmata divina in eo tradita, asserturos se esse, pro-  
 misisse. Post tempora Concilii oecumenici primi Symbolum  
 Nicenum in ipso Baptismo exigebatur a baptizandis, ut ad  
 confitenda Dogmata divina eodem comprehensa, obligaren-  
 tur: qua de re videri potest Hildebrandus de Ritibus Baptismi p.  
 81. De Symbolo Constantinopolitano Binius Tom. I. Concilio-  
 rum p. 515. *W*isigothi profentes fidem Catholicam, non modo  
 illud receperunt, sed etiam Judeos ad Christianam fidem venientes  
 sub ejusdem Symboli confessione recipiendos esse, suis legibus sancive-  
 runt. De Arrio Hæresiarcha sequentia refert Theodoretus lib.  
 r. Hist. Eccles. cap. 13. p. m. 558. *Rogatus a Principe, an Fidem  
 Catholicæ Ecclesiæ teneret? & recte se credere juravit, & fidei libel-  
 lum exhibuit, ea celans, quorum causa ejectus ex Ecclesia fuerat ab  
 Alexandro, & per simulationem referens dictiones Scripturae. Euns  
 ergo, cum jurasset, se ea non sensisse propter quæ ipsum ejecerat  
 Alexander, liberum dimisit, cum his verbis: *Si recta est fides tua  
 bene jurasti: sin autem impia est fides tua & tamen jurasti:  
 DEus de cælo de te ferat judicium.* Refert Socrates jurasse Ar-  
 rium in formulam Nicenam, aliam autem perfidiæ suæ for-  
 mulam subala reconditam habuisse, de qua juramentum suum  
 restri-*

restrictione mentali intelligebat. videatur Lib. I. Hist. Eccles. cap. 25. Ex quibus patet, jam illo tempore in usu fuisse, ad confitenda Dogmata divina juramento sese obstringere. Vos-  
fius in de tribus Symbolis lib. III. num. III. In Græcis Ecclesiis conser-  
teri hoc Symbolum (Constantinopolitanum) necesse habent Pa-  
triarche & Archi-Episcopi, quando eam consequuntur Dignitatem.  
Solebant Episcopi ad officia sua evocati edere & ad alios Epi-  
scopos mittere Epistolæ Synodicas aut Synodales, in quibus ele-  
ctionem suam notam faciebant iisdem, & in communione fidei  
& Confessionis Doctrinæ Christianæ se perseveraturos osten-  
debant, in illis autem Epistolis provocabant ad Symbola, ad  
eaque confitenda & observanda sese obstringebant. Ad ocu-  
lum hoc patet ex Epistola Synodica Gregorii Magni Episcopi Ro-  
mani, is ad Johannem Constantinopolitanum, Eulogium Ale-  
xandrinum, Gregorium Antiochenum, Johannem Hierosol-  
ymitanum, & Anastasium Patriarcham Antiochenum Lib. I.  
Epist. XXIV. p. m. 390, ita scribit: *Quia corde creditur ad Justi-  
tiam, ore autem Confessio fit ad Salutem; sicut sancti Evangelij  
quatuor Libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fate-  
or.* Nicenum scilicet, in quo Arrii Dogma destruitur: Constanti-  
nopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convinci-  
tur: Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur:  
Chalcedonense vero, in quo Eutychis Dioscorigr. prædictas reprobatur;  
tota devotione complector, integerrima approbatione custodio; quia  
in his velut in quadrato Lapis, sanctæ fidei structura consurgit,  
& cuiuslibet vita atq. actionis norma consistit. *Quisquis eorum  
soliditatem non tenet, etiam si Lapis esse cernitur, tamen extra edifi-  
cium jacet.* Quintum quoque Concilium pariter veneror. Eo-  
dem modo alii quilibet Episcopi obligabant se ad confiten-  
dum Doctrinam divinam, prout in Conciliis & Symbolis defi-  
nitum erat. Idem Gregorius hoc testatur de Ecclesiis orienta-

libus, hinc Lib. VII. Epist. LIV. p. m. 817. Sanctissime universales Ecclesie uno sensu, una doctrina fidem ejusdem sancte memoriae Leonis tenent, sanctamq; Chalcedonensem Synodum ita nobiscum custodiunt, atq; venerantur, ut nullus esse Episcopus reputetur, qui ejusdem Synodi defensor, sectatorq; non fuerit. Hinc est etiam, ut quoties in quatuor precipuis sedibus Antistites ordinantur, Synodales sibi Epistolas vicissim mittant, in quibus se sanctam Chalcedonensem synodum, cum aliis generalibus synodis, custodi recteantur: sicut & nos aversamur & Anathemate plectendos ducimus, si quis de fide ejusdem Synodi aliquid diminuere, vel aliquid in ea addere præsumit. Notæ ad Epist. 24. lib. 1. hæc adjiciunt: Justinianus Imperator edicto carit, ut sanctorum quatuor Conciliorum fides ubiq; terrarum subscriberetur ab Episcopis, videlicet Codice de summa Trinitate Epiphanius & Johanni. Videatur de Epistolis Synodicis pluribus Franciscus Bernardus Ferrarius, de antiquo Ecclesiasticorum Epistolarum Genere libr. 2 cap. 6. Nec Episcopi tantum ita obligabantur, sed omnes etiam Presbyteri, imo ipse populus, unde de Symbolo Niceno Iſidorus Hispalensis de Offic. Eccles. lib. 1. cap. 16. Omnes errorum impietas, perfidiae, blasphemias calcat, & ob hoc universis Ecclesiis pari Confessione a populo proclamatur. Pontificii finito Concilio Tridentino professionem fidei, juxta Pii IV. sanctionem exigunt a docentibus, cuius formula hæc extat Tomo IV. Conciliorum generalium Binii p. 950, in Concilio Mediolanensi IV. Ego N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, que continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet. Credo in unum Deum Patrem &c. Cætera item omnia a sacris Canonibus, & oecumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacro sancta Tridentina Synodo definita ac declarata, indubitanter recipio & profiteor simulq; contraria omnia, atq; hereses quascunq; ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem,

fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in presente sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integrum & inviolatam, usq; ad extreum vitæ spatiū, constantissime, DEo juvante, retinere & confiteri, atq; a meis subditis, vel illis quorum curā ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri & predicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo voveo ac juro. Sic me DEus adjurvet, & haec sancta Evangelia. Ecclesia Anglicana in Constitutionibus, sive Canonibus Ecclesiasticis, Constitutione 36. haec definivit: Nemo ad sacros ordines admittetur, nisi prius tribus sequentibus articulis (modo & forma a nobis praefinitis) subscripsit. 1. Qvod Majestas Reg' a &c. 2. Qvod liber publicae Liturgie, & Episcopos, Presbyteros & Diaconos ordinandi & consecrandi nihil in se contineat, quod verbo DEi sit contrarium, quodq; eodem taliter uti liceat, & quod ipse in publicis precibus & sacramentis administrandis illam prorsus formam, que in dicto libro prescribitur, & non aliam sit observaturus. 3. Qvod Libros de Religionis articulis, in quos consensum est ab Archi - Episcopis & Episcopis utriusque Provincia, & reliquo omni Clero in Synoda Londonensi Anno 1562. omnino comprobat: & quod omnes & singulos articulos in eodem contentos (qui triginta novem citra ratificationem numerantur) verbo DEi consentaneos esse agnoscit. Hisce tribus Articulis, qui volet subscribere ad vitandam omnem ambiguitatem, hac verborum formula (nomine & cognomine suo expressis) in subscribendo utetur. Ego N.N. tribus hisce prefixis articulis, omnibusq; in iisdem contentis lubens & ex animo subscribe. Videatur Heinrich Ludolph Bentheims **Engeländischer Kirch- und Schulen-Staat** p. 420. & 421. Idem hic Autor tradit im **Holländischen Kirch- und Schulen Staat** p. 447. & seqventibus, quomodo in Ecclesia Belgica obligatio ad Libros Symbolicos peragatur: Diesen Schlüssen des Synodi und folgentlich der Belgischen Confession, und

dem Heidelbergischen Catechismo müssen nun die Professores Theologiae, die Prædicanten und Schul-Bedienten unterschreiben. Die Professores Theologiae samt den Regenten und Unter-Regenten der Theologischen Collegien verpflichten sich also: Wir unterschriebene Professores der Theologie auf der Academie zu N. (wir Regent und Unter-Regent des Theologischen Collegii von N.) bezeugen aufrichtig und mit gutem Gewissen vor Gott mit dieser unsrer Unterschrift / daß wir von Hergen glauben / daß alle die Artikel und Stücke der Lehre / in diesem Bekanntniss und Catechismo der Reformirten Niederländischen Kirchen enthalten / wie auch die Erklärung einiger Articulen selbiger Lehre in dem Synodo Nationali zu Dordrecht im Jahr MDCXIX. gemacht; in allem mit Gottes Wort überein komme. Versprechen derowegen / daß wir die vorhemelde Lehrschriftig lehren und getreulich darüber halten wollen; ohne daß wir etwas wider diese Lehre heimlich oder öffentlich / direkte oder indirekte lehren oder schreiben solten: wie auch / daß wir nicht allein alle Irrthümer / welche damit freiten / und sonderlich dieselbe / welche im sogenandten Synodo verurtheilet sind / verwerfen; sondern daß wir auch bereit seyn / dieselbe zu widerlegen / uns ihnen zu widersezen / und alle Arbeit anzuwendern / solche aus der Kirche zu wehren. Solte es sich aber nach diesem begeben / daß wir von dieser Lehre andere Gedanken und Meynung haben möchten / verheissen wir / daß wir solche weder öffentlich noch heimlich vorstellen / lehren oder verthäten wollen / es seyn mit Predigen oder mit Schreiben / sondern daß wir solches vorher dem Synodo Provinciali, worunter wir gehören /

gehören / oder desselben Deputirten/ völlig wollen offenbahren / damit solche Meynung in gedachtem Synodo vollkömmlich möge untersuchet werden. ic. Addit Autor laudatus p. 450. Die Unterschrift der Prädicanten/ item der Schul. Collegen. In Ecclesiis Saxoniciis hoc modo obstringunt sese Docentes : Ihr sollt geloben und schweren / daß ihr dem Durchlauchtigsten Thur. Fürsten zu Sachsen / ic. vermöge eurer Vocation und Ambts / getren und gewärtig seyn wollet / bey der reinen Lehr / und Christlichen Bekanntnß dieser Landen/ wie dieselbe in der ersten ungeänderten Augspurgischen Confession begriffen / und im Christlichen Concordien-Buch repetiret und erklähret / und wider alle Verfälschung verwahret ist / beständig ohne einigen Falsch verbleiben und verharren / davider nichts heimliches oder öffentliches zu practiciren ; auch wo ihr vermercket / daß solches andere thun wollen / dasselbe nicht verhalten / sondern Ihrer Thur. Fürstlichen Durchlauchtigkeit ohne Scheu alsbald offenbahren : Da auch GOT verhängen möchte / (daz Er doch gnädig abwenden wolle!) daß ihr euch selbst durch Menschen-Witz oder Wahn solcher reinen Lehre und Erkäntnß Gottes/ entweder zu den Papisten / Calvinisten / oder andern obgemeldeter reinen Confession widrigen Secten abwenden würdet / solches Ihrer Chursl. Durchl. alsbald / vermöge eures geleisteten Endes/ ungescheuet anmelden / und Ihrer Chursl. Durchl. fernerer Verordnung und Resolution erwarten.

Det

Der Eyd: Alles/ was ich N. N. geredet und ge-  
lobet habe/ wie mir das mit unterschiedlichen Wor-  
ten und Puncten vorgelesen und vorgesaget ist/ das  
will ich stets fest und unverbrüchlich/ auch getreulich  
halten/ als mir Gott helfe/ durch IEsum Christum  
seinen Sohn unsern Herrn. In Academia quoque  
Regiomontana & Regni Prussiae Ecclesiis, Juramentum  
in Libros Symbolicos praestare solent Doctores Theolo-  
gicæ & Ecclesiæ Ministri, cuius formula cum satis nota  
sit, nihil de eadem addere necesse est.

### ANTI - THESIS.

In Symbola & Libros Symbolicōs jurare  
nec licet, nec expedit.

### ORIGO ANTI - THESEOS.

Symbolum Nicenum Arriani suo jam tempore sub-  
latum volebant, imprimis, quod ἐμούσιον ei esset inser-  
tum, hinc in Synodo Sirmensi, Arriana, definitum: *De  
σοῖς quam Latini substantiam nominant, εἴτε ὄμούσιος, εἴτε  
ἐμούσιος sit Filius Patri, prorsus dicere vetat, ut qua sacra  
litera neque dicunt, neque a mente humana facile capi pos-  
sunt: ut habet Sozomenus lib. IV. Historie Eccles. cap. 6. &  
in Synodo Selencensi Acacius in fidei expositione hæc  
attulit: Quoniam vero voces ἐμούσιος & ἐμούσιος etiam  
in præteritis temporibus multos turbarunt, & etiamnum  
turbant, atque hoc etiam tempore innovari dicitur disimi-  
litudo Filii & Patris, propterea τὸ ὄμούσιον, & τὸ ὄμούσιον, ut  
aliena a Scriptura rejicimus, referente Socrate H.E.lib. II.c.40.  
Nec dubitandum est alios, quibus Symbola obstabant, &  
improbasse, & tanquam inutilia, imo noxia, reprobasse.  
Post Reformationem Lutheri Juramentum in Symbola  
præsti-*

præstitum imprimis exagitabat Andreas Osiander, cuius  
verba refert Schlüsselburgius in Catalogo Hereticorum Lib.  
VI. p. 79. quæ ita habent: Der zu Wittenberg ge-  
machte Doctor und Magister ist ein armer gefangener  
Mann / mit Eydes - Pflichten in seinem Gewissen  
verstrickt und verwirret; denn er hat Gottes  
Wort verschworen/ und auf Philippi Lehre geschwo-  
ren / hat ihm den Knebel lassen ins Maul binden /  
dass er in wichtigen Sachen des Glaubens nicht re-  
den wolle/ er habe es denn zuvor mit den Aeltesten/  
so die Confession fest halten/ berahschlaget / und mit  
denselben muss er bey seinem Eyd bleiben / in der  
Einhelligkeit der Confession, wenn schon die Heilige  
Schrift ein anders sagt / oder muss sich eydbrüchig  
halten lassen. Ist also ein heimlicher Bundsgenosse  
einer solchen Conspiration, die mehr auf Menschen/  
denn auf Gottes Wort siehet/ und derhalben der  
Christenheit nicht wenig schädlich ist. Remonstrantes  
seu Arminiani exprobant Ecclesis Belgicis idem, hinc:  
*Nontantum inquunt, receperunt Formulam Dordracenam,  
eamque approbant, sed solenni insuper Juramento ei se ob-  
stinixerunt, aliosque omnes impostorum obstrictos voluerunt,  
se videlicet in ea non tantum constanter firmiterque, sed ut  
constantia apex exprimeretur, ad extrellum usque vite ha-  
bitum persisturos. Poteratne altius evchere, aut sublimius  
attollere humanam formulam Satana? Apologia Confessionis  
sue p. 6.* Christoph. Osterodus Socinianus in der Unter-  
richtung cap. 1. p. 1. ita loquitur: So halten wir es  
gänzlich dafür/ dass alles in denselben (Libris Ca-  
nonicis) vollkommenlich verfasst sey/ was/ damit man

C

das

das ewige Leben erlangen möge zu wissen / und zu thun nöthig ist : also daß man nun ganz und gar keiner anderen Bücher/ Symbolis, Conciliis, oder ir- gend eines Menschen Gutdünken/ Autorität und An- sehen (er sey auch so gelehrt und heilig gewesen wie er immer wolle) bedarff/ aus oder von welchem man noch etwas lernen oder annehmen müste/ wel- ches in genannten Büchern nicht geschrieben / oder nicht deutlich genug erklähret wäre. Gelten dero- halben aller Väter Scripta, Symbola, Concilia, &c. nicht mehr bey uns / denn eines anderen Menschen Scripta und Gutdünken / welche dem Examini oder Prüfe der H. Schrift unterworffen werden. Ho- rum vestigia non pauci proximis & hisce nostris tem- poribus secuti sunt. Refertur ap. Dr. Spenerum im ersten Theil der Theologischen Bedenken im Anhang des ersten Capitels / eines Anonymi Be- denken/ ob die Evangelische Kirche mit Recht Babel und Antichristisch zu schelten und davon auszugehen sey? sonderlich wegen der Symbolischen Bücher. In hoc Scripto imprimis num. 46 graviter insurgit Au- tor adversus obligationem erga Libros Symbolicos, scri- bens: Aber woher hatten sie Versicherung / oder welche Versicherung konten sie andern / voraus der Nachkommenschaft geben / daß sie unmittelbahr von dem Heiligen Geist erleuchtet / und also in alle Wahrheit geleitet gewesen? daß ganz gewiß/ solche ihre Confession so unfehlbar und unveränderlich sey/ als die Heil. Schrift selbst/ ( denn das muß seyn/ oder ich kan eydlich nicht darzu verbunden werden/ ) und

und mit welcher Billigkeit haben sie Gott und Menschen den Weg zu ihrer Verbesserung zu verlegen gehabt. Idem agit Gottfried Arnoldt in der Abbildung der ersten Christen, imprimis *Lib. VIII. cap. 20.* & in der Kirchen- und Reher-Historie *Seculo XVI. cap. 18.* laborans ostendere immerito Doctores Subscriptione aut Juramento obstringere sese ad docendum & confitendum juxta Libros illos Symbolicos. Omnia illorum Autorum commenta excutere, nimis foret prolixum, potissimas sufficiet hac vice examinare objectiones:

### Argumentum I. pro Anti-Thesi.

Cujuscunqve Scripti Autores immediata Spiritus S. inspiratione & illuminatione in omnem veritatem ductos esse, certo non constat, in illud Scriptum juramentum praestare nec licet, nec expedit,

Symbolorum & Librorum Symbolicorum Autores immediata Spiritus S. inspiratione & illuminatione in omnem veritatem ductos esse, certo non constat,

Ergo, In Symbola & Libros Symbolicos juramentum praestare nec licet, nec expedit.

Ita Anonymus paulo ante adductus & alii.

Respondetur 1. Negando Majorem. Multa enim sunt Scripta, quorum Autores immediata Spiritus S. inspiratione & Illuminatione in omnem veritatem ductos esse non constat, & tamen in illa juramentum praestare licet & expedit: v. g. Capitulationes Imperatorum sunt Scripta, quorum Autores non sunt Sp. S. illuminatione in omnem veritatem ducti, & tamen recte in eas juramentum prstant Imperatores. Similiter se res habet

in Juramentis statuum Imperii, Subditorum, Ministrorum, & aliorum. Porro eodem modo comparatum est cum Scriptis etiam privatorum; nam quando aliquis audivit ex ore Testatoris ultimam ipsius voluntatem, & vidit Notarium eam ita, prout enuntiaverat Testator, in scriptum retulisse, potest utique in illud scriptum Notarii juramentum præstare.

Resp. 2. Major laborat insufficienti Enumeratione, ac compleri debet in hunc modum: Cujus Scripti Autores immediata Spiritus S. inspiratione & illuminazione in omnem veritatem ductos esse, certo non constat; nec mediante Scriptura S. cognosci potest, illud a Spiritu S. immediate inspiratam veritatem ubique exhibere, in illud Scriptum juramentum præstare nec licet, nec expedit. Taliter si formata fuerit major, minor propositio admitti nullo modo potest. Nullo modo enim asserti potest, mediante Scriptura S. cognosci non posse, Scriptum aliquod a Spiritu S. immediate inspiratam veritatem ubique exhibere. Certe Berrhoëses ex Scriptura-cognoscere pôterant, ea, quæ Paulus prædicabat, ubique exhibere a Spiritu S. immediate inspiratam veritatem Actv. XVII 11. donuac̄ia Spirituum injuncta est i. Job. IV. 1. per quam Pseudo - Prophetas a veris Doctoribus dignoscere possunt Christiani; & certiores reddi cum sacra Scriptura a Spiritu S. immediate inspirata, convenire, quæcumque in aliis Scriptis continentur,

Resp. 3. Ex principiis Pontificiorum neganda quoque esset minor Propositio argumenti propositi. Symbolorum enim Autores immediata Spiritus S. inspiratione in omnem veritatem ductos esse, ex ipsorum effatis

fatis consequitur. Alphonsus a Castro Lib. X. adversus Hareses, Tit. Maria Virgo: ita scribit: Ecclesie Autoritas non minoris est ponderis, quam S. Scriptura, quoniam sicut S. Scriptura, eo, quod a Spiritu S. est condita, errare non potest, ita Ecclesia, quoniam a Spiritu S. regitur & docetur, nec fallere potest, nec falli. Bellarminus Lib. 2. de Concil. Autoritate cap. 2. conatur probare: Fide Catholica tenendum esse, Concilia generalia a summo Pontifice confirmata, errare non posse, nec in fide, nec in moribus. Inter alia affert eam in rem illud Job. XVI. Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem: addit locum Actor. XV. ubi primum Concilium confidenter ait: VISUM EST SPIRITU S. ET NOBIS. Si autem illud Concilium, ex quo formans acceperunt omnia alia Concilia, afferit, decreta sua, esse decreta Spiritus S. certe idem afferere possunt cætera legitima Concilia, que universæ Ecclesie Regulas credendi & operandi prescrivent. Illi enim Contilio adjuit Spiritus S. quia id necessè erat pro Ecclesiæ conservatione: at non minus aliis temporibus novis haresibus exorientibus, id necessarium fuit, & etiamnum est. Quid hoc aliud est, quam statuere Symbolorum Autores immediata Spiritus S. inspiratione in omnem veritatem ductos. Longissime ab horum sententia nostratrum distat assertio: hinc in Epitome Articulorum p. 572. in hæc verba scribunt: Hoc modo luculentum discriumen inter sacras V. & N. Testamenti literas, & omnia aliorum Scripta retinetur: & sola S. Scriptura, Index, Norma & Regula agnoscitur, ad quam, ceu ad Lydium lapidem, omnia Dogmata exigenda sunt & judicanda, an pia, an impia, an vera, an vero falsa sint. Cætera autem Symbola, & alia Scripta, quorum paulo ante mentionem fe-

cimus, non obtinent Autoritatem judicis: hec enim Dignitas solis sacris literis debetur: sed duntaxat pro Religione nostra testimonium dicunt, eamque explicant, ac ostendant, quomodo singulis temporibus sacra littera in articulis controversis in Ecclesia DEi a Doctoribus, qui tum vixerunt, intellecta & explicata fuerint, & quibus rationibus dogmata cum Scriptura pugnantia rejecta & condemnata sint: Conferatur Leonardi Hutteri Concordia Concordia cap. XI. p. 9.

### Argumentum II.

Quæcunque Scripta occludunt DEo & hominibus viam ab ubiores & ulteriores in sacris profectus & Eruditionem spiritualem, in illa juramentum præstare nec licet, nec expedit.

Symbola & Libri Symbolici DEo & hominibus viam ad ubiores & ulteriores in sacris profectus & Eruditionem spiritualem occludunt.

Ergo in Symbola & Libros Symbolicos juramentum præstare nec licet nec expedit.

Ita rursus Anonymus paulo ante adductus.

Major probari potest exinde, quod Apostolus semper maiores profectus a Christianis requirat,

Minor exinde videtur esse certa, quia in Symbolis & Libris Symbolicis decisiones proponuntur, hisque decisionibus acquiescere debeant qui juramento ad Libros illos sese obstrinxerunt, ast vero hoc modo viam præcludi juramento obstrictis ad accuratiorem excusationem & ventilationem, aut clariorem etiam explicationem Dogmatum Theologicorum, quam tamen Doctores & Ministri Ecclesiae indefessio studio fecerantur.

Respon-

Respondetur. 1. Major est certa; si accipiatur de omnibus profectibus Sacris & Eruditione Spirituali, conjunctim sumptis, in his enim utique valet illud Apostoli *Col. I. 10. Crescentes in scientia vel agnitione DEi.* Est enim agnitus DEi & rerum divinarum abyssus, ad cuius fundum nemo potest pervenire. Sed negatur Major, si accipiatur de una aut aliquibus propositionibus Sacris & Spiritualibus, de his enim utique certum est, quod ad tales profectus sacros, & Eruditionem Spiritualem pervenire possint Christiani, ut merito in iis subsistere, nec ulterius rimari debeant. Apostolus sane ipse exprobat *Hebr. V. 12. Vos, quos oportuit pro temporis ratione Doctores esse, rursum opus est doceri, quae sunt Elementa initii eloquiorum DEi, factisque estis ii, quibus lacte sit opus, & non solidi cibo;* Et *2.Tim. III. 7. improbat: Semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.*

Resp. 2. Negando Minorem. Nequaquam enim hæc fuit mens & intentio Autorum, qui Libros Symbolicos conscriperunt, aut illorum, qui alios juramento ad eos obstrinxerunt, quod aut Controversias aut Capita Doctrinæ post ipsos nemo accurati excutere aut explicare debeat, sed potius intenderunt Confessionem illorum, qui juramentum præstant, notam reddere Ecclesiae, quod post diligentem & sufficientem inquisitionem deprehenderint, & convicti sint in Conscientia sua, cum Scriptura omnino consentire, quæ in Libros Symbolicos sunt definita. Sane, qui ad hunc modum non sunt convicti illi neque possunt, neque debent in Libros Symbolicos jurare, unde etiam fit, quod in Ecclesiis nostris nemo admittatur ad juramentum in Libros Symbolicos

bolicos præstandum, nisi qui examinatus antea & deprehensus fuerit eosque profecisse, ut in Libris Symbolicis definita cum Scriptura exæte conspirare intelligat; quicunque autem vel dubitare de eo, vel omnino id negare deprehensus fuerit, ille ad juramentum & ministerium Ecclesiæ non admittitur, nisi informatione & scrutinio diligentiori dubia exempta ipsi, aut in viam veritatis deducuntur eum esse, manifestum evadat. De cœtero ipsas controversias & Dogmata ipsa excutere, declarare, uberiori probare & contra omnes adverſariorum exceptiones defendere, Libris Symbolicis & juramento nemo impeditur, sed potius ipsos Libros Symbolicos plures ex illis, qui juramento ad eos sese obstrinxerunt, prolixius & uberiori exposuerunt & dilucidarunt, omniaque Theologrum Scripta eo tendunt, ut veritatem agnitam modo facilissimo proponant & confirment.

Resp. 3. ad Minorem: Decisiones, quæ in Libris Symbolicis factæ, de certis tantum Controversiis aut Doctrinæ Capitibus accipiendæ sunt, quemadmodum vel ex Titulo eorum patet: v. g. *Epitome Articulorum, de quibus controversiae ortæ sunt, inter Theologos Augustana Confessionis, qui in repetitione sequenti, secundum verbum DEI prescriptum, pie declarati sunt & conciliati.* Ast vero possunt & alia controversia moveri, alia Doctrinæ capita, præter ibi pertractata, exponi, atque sic Doctoribus & Ministris Ecclesiæ via manet aperta ad uberiori evolvendam Scripturam, & clarius explicandum, excutiendum & ventilandum Dogmata divina.

Argu.

### Argumentum III;

Qvæcunqve Scripta finem sibi propositum nunquam obtinent, in ea juramentum præstare nec licet nec expedit.

Symbola & Libri Symbolici finem sibi propositum nunquam obtinent.

Ergo in Symbola & Libros Symbolicos juramentum præstare nec licet, nec expedit.

Major est certissima. Juramentum enim, quod est attestatio Nominis divini, non debet præstari, nisi de re necessaria & utili, quæ finem suum obtinere possit.

Minor probatur. Non enim fuerunt acceptata Symbola ab illis, qui veritatem oppugnarunt, sed rejecta potius & contraria sæpe Symbola ab iisdem excogitata.

Respondetur Negando Minorem. Finis enim potissimum Symbolicorum Scriptorum non respicit Adversarios & hostes vera Doctrinae, sed veritatis assertores, ut illi ex Symbolorum acceptatione innoteſcant, quemadmodum ex Symbolo militari reddito, unius exercitus milites agnoscuntur, & hostes cavitur. Nec mirandum est salubria Ecclesiæ consilia hæreticos in usus suos nefarios convertisse, *Diabolum enim Patrem suum imitantur. Ioh. VIII. 44. qui in Angelum lucis se transformare novit.*

*2. Cor. XI. 14. Cum hostibus veritatis quando agebant Ecclesiæ Doctores, non Ecclesiæ Definitiones & Decisiones, sed ex Scriptura defumpta argumenta urgere potissimum conservaverunt. Eleganter in hanc rem Augustinus lib. 3. contra Maximinum Arrianorum Episcopum cap. 14. p. m. 733.*

D. Nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam pradicatus proferre Concilium. Nec ego hujus Autoritate,


D

nec

nec tu illius detineris: Scripturarum Autoritatibus, non quorumque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Utique legimus: *Ubi simus in vero filio ejus Iesu Christo: Ipse est verus Deus & vita eterna (z. Job. V.)* utriusque tanti ponderis molibus cedamus.

*Exeptio.* Dicis: Nec quantum ad vera Ecclesiae membra finem obtinere suum Scripta Symbolica, cum pluries Hypocritae iis quidem subscrifiant, imo & in ea jurent, aliud tamen corde & animo foveant.

*Reff.* Difficile quidem est Hypocritas a veris Ecclesiae membris discernere, non tamen impossibile id est, si morem geras consilio Apostolico Rom. X. 9 10. *Quod si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & credideris in Corde tuo, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvabis.* Corde enim creditur ad Justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Ad oris nempe Confessionem attendere non sufficit, sed ad cordis quovque fidem, qua per charitatem operatur & efficax est. Gal. V. respiciendum est, ut vera Ecclesiae membra agnoscas: etenim semper inventiuntur in Ecclesia, qui speciem habent pietatis, at virtutem ejus abnegantes. 2.Tim. III. 5.



Aug VI 57 (1)



TA-70  
nur 4. Stk verknüpft

Pabro



B.I.G.

Black

White 3/Color

Magenta

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
**JURAMENTO  
IN SYMBOLA ET  
LIBROS SYMBOLICOS,**

*Quam*  
**DIVINI NUMINIS GRATIA  
ANNUENTE,**  
*Consensu*  
**VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ  
IN ACADEMIA REGIA REGIOMONTANA,**

*Publicæ Eruditorum Disquisitioni  
submittunt*

P R A E S E S

**CHRISTIANUS SAHMIUS,**

SS. Theol. D. & P. P. Diaconus Ecclesiæ  
Palæopolitanaæ,

&

RESPONDENS

**FRIDERICUS BOEZZ/ Reg. Pruss.**

S. Minist. Candid.

IN AUDITORIO THEOLOGICO.  
Anno MDCCXIII. d. 29 Martii.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.